



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis  
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad  
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In  
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

**Penzinger, Sebastian Heinrich**

**Solisbaci, 1698**

Disc. VI. Innocentia, fuit Maria. Maria nullo peccato etiam venali infecta;  
post Deum innocentissima semper permansit creatura.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

## DISCURSUS VI.

*S. Maria purior fuit omni creaturâ, siue qua  
in celo est, siue qua in terrâ.*

**P**urissimus est Spiritus Sapientiæ, qui nullâ coinquinatâ  
maculâ, nullâ tangitur iniquitate; purior sole est  
& à foliis cordibus, & in Spiritu Dei ambulanti-  
bus, non apprehendi se patitur. *In malevolam animam non  
habitabit Spiritus Sapientiæ, neque habitabit in corpore subdito peccati.*  
Sap. 1. cap. An non Spiritus Sapientiæ intravit in Virginem,  
quando in ancillam Domini, Spiritus S. supervenit, & vultu  
Altissimi obumbravit eam? malevola igitur anima Virgini  
esse non potuit, in quam Spiritus Sapientiæ purissimus in-  
travit. An non ipsa Sapiëntia divina, Virginis habitavit in cor-  
pore, quando Dei Verbum Caro factum novem mensibus  
immaculato Virginis utero latitavit? Quis ergo corpus illud  
peccatis subditum dicere audeat, quod ipsa divina Sapiëntia  
inhabitare non est dedignata? Pura itaque animâ, & corpore  
purior omni etiam angelicâ creatura, purissima post Deum  
fuit Virgo Maria. Purissimo huic Sapiëntiæ habitaculo  
SS, Patres. Patrum suffragia parentabunt. *Decens erat, ut eâ puritate  
quâ major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus  
Pater unicum Filium suum, quem de corde suo aequalem sibi genu-  
itum, tamquam seipsum diligebat, ita dare disponebat, ut natu-  
raliter esset unus, idemque communis Dei Patris, & Virginis Filius,  
& quam ipse Filius substantialiter facere sibi Matrem eligere,  
& de quâ Spiritus S. volebat, & operaturus erat, ut concepere-  
tur, & nasceretur ille, de quo procedebat.* scribit S. Anselmus  
de Concept. B. V. cap. 18. *Tota pulchra absque delicto, sine mor-  
tis & corporis deformitate, Deo & hominibus amabilis habebatur.*  
S. Laurentius Justinianus subiicit S. Laurentius Justinianus. *serm. de Nat. B. V. De ho-*



propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo questionem. sentit S. Augustinus. lib. de naturâ, & gratiâ. cap. 36. *Temerarium est, in Mariâ Virgine, propter Filium, ponere culpam aliquam, vel peccatum, quod suam conscientiam remorderet.* seraphicè discurret S. Bonaventura, in 3. sent. dist. 3. art. 2. quæst. 1. *Nisi ab omni vitiorum contagione penitus purgata fuisset, Deum, Dei Filium generare non posset, ut enim Virgo conciperet, Virgo pareret, summâ sanctitate, summâ puritate opus habebat.* Richardus à S. Victore. lib. 2. de Emmanuele. cap. 16. *Puram hanc Virginem, & ab omni prorsus labe vacuam, è totâ naturâ delegit Deus.* S. Andreas Cretensis. orat. de Nat. B. V. *Non enim decebat, sanctuarium Dei, domum sapientie, reliquiarium Spiritûs, Urnam Manna cælestis, aliquam in se labem habere.* S. Thomas de villâ novâ. Cant. 3. de Nat. B. V. *Abiit, ut proprii quidquam inquinamenti, domus hac aliquando habuisse dicatur, ut in eâ proinde scopa Lazari quæreretur.* S. Bernardus. ferm. 2. de Assumpt. V. *Inter tot animas omnium hominum, qui salvantur, ut electa columba est una illa sola, qua Christum genuit, Virgo Mater, puella Maria, qua puritate profecto Cherubin, & Seraphin antecellit.* Theodoretus. lib. 3. in Cant. Concludit S. Bernardinus Senensis. tom. 3. ferm. 6. art. 2. cap. 3. *Cùm Deus summa sit puritas, consequens est, ut homo ille præ omnibus censeatur purissimus, qui cæteris altiùs ad Deum elevatur, Deo præ reliquis magis appropinquat, & unicitur; sed Beata Virgo, tam altè ad Deum elevata, tam propinquè ipsi unita est, ut altiùs elevari, Deoque propinquiùs, quam per maternitatem uniri non potuerit, ergo præ omnibus purissima est Dei Mater, quam proinde filiali reverentiâ veneremur, ut obtentâ Spiritus S gratiâ, angelicam ejus puritatem Conceptibus non obscuris deducentes, Filii sapientiæ nominemur, & simus.*

S. Augustinus.

S. Cyrillus Alexandrinus.

S. Bonaventura.

Richardus à S. Victore.

S. Andreas Cretensis.

S. Thomas à villâ novâ.

S. Bernardus.

Theodoretus.

S. Bernardinus Senensis.



## CONCEPTUS I.

Confirma-  
tio seu De-  
ductio.

De operatione Lucis veræ, venientis in hunc mundum, scribit S. Joannes Evangelista, cap. 1. *Lux in tenebris lucet, & tenebra eam non comprehenderunt.* Num tenebris adeo contraria lux est, ut eam tenebræ comprehendere non valent? Quæstioni huic respondet experientia quotidiana, quæ tantum minus tenebrarum experimur, quanto magis lux lucet; sicut ortum solis sensibiliter cedunt tenebræ, dum clara dies decescit. Gratia Dei, *lumen animæ*, appellatur, lumine hoc plenus fuit B. V. Maria præ omnibus creaturis, ideoque eam peccatorum tenebræ non comprehenderunt, quæ purissima semper extitit, & post Christum tota lux fuit. Ita B. Albertus Magnus, in Bibl. Maria. Evang. Secund. Jo. n. 1. *Ipsa est lux nostra, quæ post Deum illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

## CONCEPTUS II.

Magdalenam, generosissimum exemplar pœnitentium, Christus Dominus in domo Simonis leprosi *Mariæ* nomine non est dignatus, sed tantum simpliciter *Mulierem* compellavit. *Vides hanc mulierem.* Lucæ. 7. cap. At verò post gloriosam resurrectionem suam sub formâ hortulani apparens, Dicit *Jesus: Mariæ.* Joan. 20. cap. An fortè in domo Pharisæi habeberrimo *Mariæ* nomine mulier illa digna non fuit? In domo Simonis peccatorum facibus maculata, *Mulier in Civitate peccatrix*, Magdalena apparuit, pro hoc statu eam Dominus purissimo *Mariæ* nomine indignam judicavit, ne peccatricis puritas angelicam Virginis Matris puritatem ademptione nominis dehonestaret; verum post resurrectionem, abluta a peccatorum sordibus Magdalena, rigidis pœnitentiæ, & magis dilectionis operibus, gratiæ Dei cooperans Maria à Jesu nominari inaudit, ut omni laborioso nomen puritatis cederet mercedem, & de amaris peccatorum lachrymis ab Autibus omnium



omnium, Maria nuncupari, se dignam redderet. En! quantus puritatis odor vel in solo nomine Mariæ resideat, quæ integra vitæ scelerisque pura, Matris purissimæ nomen semper gessit, & omen. Et hoc quidem nomen dedit tibi tota Trinitas, ô Maria! antequam in utero Annæ concipereris, ut de angelicâ tuâ puritate dubitare fas non esset, unde doctissime Idiota de Contemplat. B. V. cap. B. *Tota pulchræ, Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, & macula peccati, siue mortalis, siue venialis, siue originalis, non est in te, nec unquam fuit, nec erit, sed adest tibi omnis gratia naturalium bonorum, spiritualium charismatum, & cælestium donorum.* Mariâ nunc puriorem, si pores, creaturam ostende.

### CONCEPTUS III.

Thronum Salomonis de ebore grandem, quem 3. Regum. fecit Rex Salomon, Mariam Virginem intitulat Doctor seraphicus Bonaventura. in speculo B. V. lect. 2. *Thronus Salomonis est Maria, grandis omnino in gratiâ & gloriâ.* De hoc throno promisit Deus per os Prophetæ, quod ponet eum sicut dies cæli: *Thronum ejus sicut dies cæli.* Psal. 88. Mira similitudo! An dies cæli à diebus terræ aliquid diversum habent? differentiam observat magnum Ecclesiæ lumen Augustinus, tom. 1. in Psal. 88. Conc. 1. Colloq. 198. Dies cæli, inquit, continuo sereni sunt, & immutabiles, dies terræ autem horis singulis speciem mutant, dum nivibus, pluviam, vaporibus, aut etiam nebulis obtenebrantur. Mariam ergo thronum suum, sicut dies cæli divinus Salomon posuit, quia eam gratiarum serenitate continuam, & puritate vitæ fecit immutabilem, quæ proinde nec vapore peccati originalis turbari, nec peccati venialis nebulâ obrui, nec ullâ peccati mortalis tempestate potuit obtenebrari. Concludit itaque lib. de naturâ & gratiâ cap. 36. *Scimus, quod ei plus gratia collatum fuerit, ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* O thronum  
de



de ebore puritatis Marianæ candidissimum, & auro chryse  
fulvo nimis, divino Salomoni eximiè præparatum!

### CONCEPTUS IV.

*Arca fæderis B. Virginem assimilat B. Albertus Magnus*  
in Bibl. Maria. lib. num. 4. *B. Virgo tamquam arca fæderis*  
quo consistit hæc similitudo? Arcam fæderis iussit Deus con-  
fici ex lignis Sethim. Exod. 25. cap. quod lignum fuisse tra-  
mnum album, affirmat S. Hieronymus. tom. 1. lib. 12. in illa  
cap. 41. fol. 157. Ex rhamno igitur confecta est arca, & rhamnus  
neque intrinsecus, neque extrinsecus quidquam spina in se  
animadverti potuit, *rhamnosa, sed non spinosa*. Arca  
purissima Dei Mater, & Virgo Maria comparatur, quæ quæ-  
dem de ligno sethim sive rhamno confecta est, dum a pure-  
tibus peccato subditis mundo nata apparuit, cuius tamen  
neque corpus, neque mentem Deo semper immaculatam, &  
originalis, sive actualis, vel levissima spina peccati unquam  
reprehendit, cui Symbolista subscribit: *Pax intus & intus*  
Conceptum hunc firmo autoritate S. Ambrosii Ecclesiasti-  
cæ, lerm. 25. *Arcam autem, quid nisi sanctam Mariam*  
*rimus, siquidem arca intrinsecus portabat Testamenti rami*  
*Maria autem ipsius Testamenti gestabat heredem: illa intus*  
*metipsam legem, hæc Evangelium retinebat: illa Dei vocem*  
*bebat, hæc Verbum: Veruntamen arca intus, forisq; auri*  
*radiabat, sed & sancta Maria intus, forisq; Virginitatis splende*  
*fulgebat; illa terreno ornabatur auro, ista cælesti.* Arca  
Anagramma *cara* transponitur, chara Deo, quia pura,  
Virgo Maria. Sic de eâ sentit Alanus de Insulis in cap. 4. *Cara*  
*Tota pulchra, id est, animâ, & corpore, amica mea, per*  
*tiam, & opera, & macula non est in te, quia nullum creatum*  
*in Virgine, ante & post Conceptum fuisse peccatum. Quod &*  
*Matris purissimæ Filius, ante Passionem suam specialiter ob-*  
*vâsse videtur.*



## CONCEPTUS V.

Non ineptè quæri potest, quare Salvator noster in ultimâ Cœnâ, profundo illo humilitatis actu, quo pedes discipulorum suorum lavit, non etiam laverit pedes Matris suæ? An forte, quia aliunde munda erat, & consequenter lotionem non indigebat? sed etiam discipulis dixit: *Mundi estis*. Joan. 13. cap. Et tamen necessaria eis erat lotio pedum, adeo, ut recusanti Petro: *Non lavabis mihi pedes in æternum*: responderit Dominus: *si non laveris te, non habebis partem mecum*. Et rationem subiunxit: *Qui lotus est, non indiget, nisi, ut pedes lavet*. Cur ergo Dominus non præ Apostolis, Mariæ pedes lavare dignatus est? Respondeo cum S. Bernardo. serm. in Cant. *Dum in hac terrâ, & cinere peregrinamur, ab omni peccato saltem veniali mundi esse non possumus; dicit enim Sapiens. Prov. 24. septies in die cadit Justus: per pedes autem animi cupiditates intelligi debent*. A mortali peccato mundi quidem esse poterant Apostoli, sed non sic à veniali, unde ad diluendas animi cupiditates, lavari pedes oportebat, ut partem cum Domino haberent in æternum: Maria autem ab omni etiam veniali peccato erat mundissima, & licet in terrâ ambulaverit, & cinere, maculari tamen ne vel leviter voluit, neque ullis animi cupiditatibus subjugari, ut pedes mundos, ac pulchros conservaret, quos proinde Matri Filius non lavit, quatenus perfectam Genitricis puritatem, Apostolis, quorum pedes lavaret, venerandam insinuaret dicens: *Via illius pulchra, & omnes semitæ illius pacificæ*. id est, mundæ à peccato. Proverb. 3. cap. Et cum cœlesti sponso exclamans: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis*. Cant. 7. cap.

Quòd si igitur Beatissima Virgo fuit tam sancta, immaculata, pura, & ab omni peccato remotissima, evidenter sequitur, eam omnis peccati, Dei que offensæ esse inimicam: Virgini huic purissimæ, quæ ne quidem per unum instans in statu peccati constituta fuit, placere, aut grati esse nequaquam

f

pos

Epilogus.



possunt, quotquot in peccato mortali impœnitentes vivunt. Advocata peccatorum est, sed pœnitentium, non oblitiscorum, peroranti itaque Mariano Oratori acquiescamus [secundum] Damasceno, orat. de Assumpt. Virg. *Ipsa Virgo est, & Virgine amans, quocirca si & corporis, & anima castitatem colamus, ipsius gratiam adipiscemur.* Purissimam Virginem Dei Matrem sincero corde, & affectu exoremus, ut nobis cum amore virtutis, odium impetret, & horrorem peccati, quò illi obbitâ sinceritate, & gratâ devotione serviamus, actandem tam consequamur æternam. Amen.

*Semper habet curam, tam corde, ac corpore puram,  
Ut se sistat ei, sponsa beata Dei.  
Qui poscit quærere, sed mundo corde videri,  
Virgo cui placuit, sponsa parensq; fuit.*

